



213.



Disputatio X.

DE CRIMINE MAIESTATIS DIVINÆ,  
quod sacrilegium iura appellant.

Q V A M,

D. T. E. U. F.

P R A E S I D E,

CLARISSIMO,  
CONSULTISSIMOQVE VIRO,

D N. H E N R I C O B O C E R O, V. I. D.

celeberrimo, & in inclita Tubingensi Academia Profes-  
sore praestantissimo, Praeceptore suo  
honorando;

ORDINARIJ EXERCITII GRATIA,  
pro ingenij tenuitate suscipiet, tempore lo-  
coq; consuetis

I O H. I A C O B V S P L E B S T I V S,  
Stutgardianus,



T V B I N G A,  
Typis Georgij Gruppenbachij,

ANNO M. D. XCVIII.

Hb

Duplicatio X.

DE VERITATE NARRATAE DIVINA

CLAVI

D. T. E. R.

P. A. S. S. I. D. E.

C. L. A. R. I. S. S. I. M. O.

CONSTITUTIONE VERO

DE NARRATAE DIVINA

ORDINARI EXERCITII GRATIA

PROFUNDISSIMO DISCURSU

DE NARRATAE DIVINA

DE NARRATAE DIVINA



Typ. Georg. Gropenbachii

ANNO MDCCLXXII



# Disputatio X.

DE CRIMINE MAIESTATIS DIVINÆ,  
quod sacrilegium iura appellant.

## THESIS I.

**D**E PUBLICIS CRIMINIBVS DEHINC VT  
agamus, propositi (a) ordinis ratio iubet. Est autem  
publicum crimen, quod aliqua publicorum iudicio-  
rum lege vindicatur; cuiusmodi est lex Iulia, lex Corne-  
lia, lex Pompeia, (b) & lex Fabia. (c)

a) *Supra thesi 5. disputatione 1. huius classis 3.* (b) *l. 1. ff. de public. iu-  
dic. Non est publicum crimen, nisi lege quadam publicum esse iubeatur, l.  
Manicheos 4. §. 1. C. de heretic. Alij verò, inter quos est Iul. Clarus, lib. 5. sen-  
tent. §. 1. nu. 1. publicum crimen definiunt, cuius accusatio cuilibet de populo  
permissa est, sed definitio hæc falsa arguitur ex l. 3. ff. de extraord. criminib.  
(c) tit. ff. de lege Fabia de plagiarijs.*

### I I.

Lex Iulia coërcet crimen Maiestatis, adulterium, peculatum,  
vim publicam, & priuatam, item ambitum, crimen repetundarum,  
& crimen fraudatæ annonæ. Lex Cornelia est vindex homicidij, ve-  
nificij, incendij, & falsi. Lex Pompeia parricidium punit. (a) Lex  
Fabia vindicat plagium: (b) de quibus criminibus ordine dispicie-  
mus, & primùm quidem hac disputatione de crimine Maiestatis.

a) *d. l. 1. ff. de public. criminib.* (b) *d. tit. ff. de lege Fabia de plagiarijs.*

### I I I.

Crimen Maiestatis est, quod vel in religionem diuinam, (a) vel  
aduersus Imperatorem aut populum Romanum, eiusve securitatem  
committitur. (b)

a) *d. l. 4. §. 1. iuncta Auth. Gazaros, in princ. C. de heretic. & Manich.  
l. vlt. in princ. C. de ferijs. & c. vergentis. extra de heretic.* (b) *l. 1. §. 1. &  
t. t. ff. & C. ad l. Iul. Maieft.*

### I I I I.

In religionem diuinam quod committitur Maiestatis crimen,  
sacrilegium appellatur: vt est blasphemia, hæresis, schisma, apostasia,  
& sortilegium, aliaq; diuinandi curiositas.

Hb 2 l. 4. §.



DISPUTATIO DE

l. 4. §. vlt. l. Damno 6 §. 1. ibi, sacrilegi Nestorij. l. Quicumq; 8. in fine principij, ibi, mente sacrilega, & §. vlt. vers. Nemo, ibi, sacrilega, vers. Equum ibi, immanissima sacrilegia, C. de hereticis, l. 1. ibi, sacrilegis coesibus, l. 2. ibi, ad sacrilegia templorum, l. 4. in princ. ibi, apostatarum sacrilegum nomen, vers. In tantum ibi, huiusmodi sacrilegia, vers. sed ne huius, ibi, sacrificia sacrilega, C. de apostatis, & l. 1. in prin. ff. ad leg. Iul. Maiestatis. c. si quis Episcopus, 26. in fin. quest. 5. vbi illicita diuinatio sacrilegium vocatur.

V.

Blasphemia est, diuinæ maiestatis, eiusque potestatis contemptus: vt cum Deo tribuitur, quod eius maiestati minimè conuenit, veluti iniustitia, crudelitas, malitia: aut negatur aliquid de Deo, quod ei maximè conuenit, veluti, prouidentia, præscientia, iustitia, bonitas, omnipotentia, humanitas in Christo: aut conuitium immediate in ipsum Deum, Christi humanitatem, eiusue sacramenta, vel in matrem ipsius, aliosue sanctos fit, Germanicè, Ein Gottslästerung.

Reichsabschid zu Augspurg Anno 1530. auffgericht / tit. von Gottslästerung vnd Gottschwüren / pag. 225. & seq. Peinliche Halsgerichtsordnung Keyser Karls des V. articulo 106. Fürstenthumb Würtemberg Landsordnung / pag. 188. in fin. & pag. seq. Nouel. 77. cap. 1. §. 1. c. si quis per capillum 22. quest. 1. c. 2. ext. de maledicis. Damhouder. in praxi rerum criminalium, cap. 61. num. 11. Didac. Couar. ad c. Quamuis pactum. tit. de pactis in 6. §. 7. num. 8. Iul. Clarus lib. 5. sentent. §. blasphemia, num. 1. & 2. Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 4. casu 385. vbi varia exempla blasphemia proponit, vt & ante eum Didac. Couar. dicto loco. Ideò autem blasphemia etiam dicitur, si quis in virginem Mariam, aliosue sanctos contumeliose quid dixerit, aut fecerit, quia contemptus hic etiam in Deum redundat. Iodoc. Damhouder. in praxi rer. criminal. cap. 61. num. 17. Menochius dict. casu 385. num. 14.

VI.

Facto quoque blasphemiam committi volunt; vt si quis impijs manibus spurcauerit, fœdauerit, obleuerit Dei Saluatorisque nostri, aut beatæ virginis, vel sanctorum imagines & figuras.

per l. non contrahit 5. & l. seq. & l. 7. §. vlt. ff. ad leg. Iul. Maiest. facit etiam huc l. vn. C. Nemini licere signum Saluatoris Christi humi vel in silice, vel in marmore, aut in sculpere, aut pingere. Iodoc. Damhouder. dict. cap. 61. num. 25. Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 4. casu 386.

Pœnam

## VII.

Pœnam quod attinet blasphemie; alia iure diuino in populo Iudaico in vsu fuit; alia iure canonico definita est; alia item sanctionibus Cæsareis est recepta. Iure diuino blasphemi lapidibus opprimebantur. (a) Iure Canonico in terris Papæ subiectis, blasphemus, iurando per capillum, aut caput Dei, vel alio modo, si in Ecclesiastico fuerit ordine, ex Pij Papæ præcepto, deponitur, si laicus sit, anathematizatur. Quòd si per creaturas iurauerit, acerrimè castigari, & pœnitere iubetur. (b) Sed Iustiniani Constitutione in terris Imperij huiusmodi blasphemus vltimo afficitur supplicio. (c)

a) *Leuit. cap. 24.* (b) *c. si quis per capillum. 22. quest. 1. Didac. Couar. dict. §. 7. n. 10. vers. sed quia pœnam. Menoch. dict. casu 385. n. 27.* (c) *No- uel. 77. cap. 1. §. precipimus. Damhouder. dict. cap. 61. num. 12. Didac. Couar. dict. §. 7. num. 10. vers. iure autem ciuili. & Menoch. dict. casu 385. num. 28. dictam Iustiniani constitutionem de omni intelligunt blasphemos; sed nostro iudicio malè.*

## VIII.

Sed si quis contra Deum, vel beatam virginem, aut aliquem sanctorum linguam suam alio modo in blasphemiam publicè relaxare præsumpserit, sanctio Pontificia Gregorij noni mandat, vt hic blasphemus in septem diebus dominicis, dum missarum solemnias aguntur, præforibus Ecclesiæ in manifesto stet, ac vltimo illorum die dominico palleum & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemq; præcedentibus sex ferijs in pane & aqua ieiunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet etiam prædictorum dierum, si poterit tres pauperes, alioquin duos tantùm, aut vnum reficere iubetur. Quòd si ad hoc eius non suppetant facultates, in aliam id pœnam commutari debet, & si prædictam pœnitentiam hic blasphemus agere renuat, Ecclesiæ ingressu ei interdicitur, & in obitu Ecclesiastica sepultura caret. Insuper etiam per temporalem potestatem ope Episcopi Diocesali blasphemus, si diues fuerit 40. solidorum, alioqui 30. aut viginti, vel 5. solidorum vsualis monetæ pœna multari, eadem sanctio præcipit.

*c. 2. ext. de maledicis.*

## IX.

Cæterùm Lateranensis deinde Synodus sub Leone X. anno 1514. constituit, vt quicumq; Deo palàm seu publicè maledixerit,

Hh. 3.

contu-

DISPUTATIO DE

contumeliosisq; ac obscœnis verbis Christum, aut virginem Mariam blasphemauerit, si munus publicum, iurisdictionem gesserit, eius officij emolumenta trium mensium pro prima & secunda vice perdat, si tertio deliquerit, isthoc munere priuatus existat. Si Clericus vel sacerdos fuerit, pro vice prima beneficiorum suorum fructibus anni vnus multetur. Pro vice autem secunda, si vnicum habuerit beneficium, eo priuetur; sin verò plura, quod ordinarius maluerit, id amittere cogatur. At pro vice tertia, dignitatibus ac beneficijs omnibus, quæcunq; habuerit, eo ipso priuatus existat. Laicus verò, si nobilis fuerit, pœnâ 25. ducatorum multetur; & pro secunda vice 50. pro tertia nobilitatem perdat. Sin plebeius & ignobilis fuerit, in carcerem detrudatur. Quòd si vltra duas vices publicè blasphemus deprehensus fuerit, mitra infami per integrum diem ante fores Ecclesiæ principalis stare cogatur. Si sæpiùs in hoc ipsum peccatum lapsus sit, iudicis arbitrio vel ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur. Qui verò sanctos reliquos blasphemauerit, arbitrio iudicis rationem personæ habituri, mitiùs aliquantò puniatur.

*Didac. Couar. dict. §. 7. num. 10. & Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 4. casu 375. num. 29.*

X.

Imp. autem Caroli V. sanctione, blasphemi in carcere per dies 14. aqua & pane cibari iubentur pro vice prima. Qui si iterauerint postea hoc crimen, dispendium facultatum suarum pro criminis qualitate, & iudicis arbitrio, sustinent; quæ pecuniaria pœna domesticis pauperibus, aut in dotem egenis virginibus applicatur. Quòd si tertia quis vice blasphemiam euouerit, capitali plectitur pœna, aut membrorum quorundam amissione punitur; (a) ac plerunq; ex statutis, vel moribus locorum lingua eius amputari, aut perforari ferro solet: (b) etiam si blasphemia non ipsum Deum, sed virginem Mariam, aliosue sanctos contingat. (c)

a) Reichsabschied zu Augspurg anno 1530. auffgericht / tit. von Gottslâsterung vñ Gottschwüren / pag. 225. S. Darauff ordnen vnd setzen wir / Item, Heintliche Halsgerichtsordnung Keyser Carls des V. articul. 106. Fürstenthumbs Württemberg gemein Landordnung / pag. 189. in princ. & pag. 191. vers. So aber die gemelten. (b) Damhouder. dict. cap. 61. n. 34. Boer. decis. 301. Didac. Couar. dict. §. 7. num. 11. vers. 1. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. blasphemia. Et certè graues sunt causa, cur blasphemii digna affici pœna debeant,



*bent, quas refert Ioa. Bernar. Diaz, in practic. criminal. Canonica, cap. 103.*  
 (c) Reichsabschied, dict. tit. von Gottslåsterung, pag. 226.

## XI.

Non defunt, qui putant, blasphemum ordinaria hodie plecti pœna, siue lingua, (a) siue facto (b) quodam blasphemiam exercuerit.

a) Vide Menoch. de arbit. iudic. lib. 2. cent. 4. casu 375. num. 30. & seqq.  
 (b) Vide eundem Menoch. eod. lib. & cent. casu 376.

## XII.

Est & hæc blasphemorum pœna, quòd ipso iure de hoc crimine conuicti infamiâ notantur: & si de facto prædicta pœna plecti nequeant, à quolibet impunè scelerati homines appellari possunt.

Reichsabschied / dict. tit. von Gottslåsterung / pag. 225. fac. 2. vers. Und so solche. Sed quod infamiâ atinet, dissentiunt nonnulli, quos citat Didac. Couar. dict. §. 7. num. 12.

## XIII.

Non est hoc loco omittendum, quòd illi, qui audiuerunt aliquem blasphema euomere verba, intra dies octo crimen illud, & eius autorem ordinario Magistratui iudicare tenentur; Quòd si ab ipso Magistratu ad hoc requisiti malitiosè non fecerint, quasi confortes criminis pro qualitate causæ, corporali aut pecuniaria pœna seuerè puniuntur. (a) Quin etiam Magistratus ipse hoc crimen vindicare si neglexerit, pœnæ reus erit. Et licèt Princeps, Comes, Baro, aut ciuitas Imperialis non valeat peccatum hoc punire, attramen sub pœna decem marcarum auri Præfecto fisci imperialis iudicare illud cogitur. (b)

a) Reichsabschied / dict. pag. 225. fac. 2. vers. Wo auch einer Fürstenthumbs Württemberg Landordnung / pag. 190. in princ. (b) Reichsabschied / dict. pag. 225. fac. 2. vers. würdt aber eines Fürsten.

## XIII.

Sed in dubium vocatur, an consuetudo blasphemandi, ipsum blasphemum à pœna blasphemix excuset? Id quod nos cum quibusdam contra quosdam negamus.

Quos referunt & sequuntur Didac. Couar. dict. §. 7. num. 13. Iul. Clarius lib. 5. §. blasphemia, n. 7. & Menoch. dict. casu 375. n. 43.

Si

DISPUTATIO DE

XV.

Si quis tamen calore iracundiæ iniustæ in blasphemiam proruperit, mitius puniri debet.

*Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. blasphemia. n. 6. & §. fin. n. 9. & Petr. Follerius in practic. criminali, in parte fragmentor. n. 13.*

XVI.

Sequitur de hæresi. Hæresis est, cum quis peruerso ac pertinaci spiritu, alicuius temporalis commodi, & maximæ vanæ gloriæ, principatusq; sui gratiâ, leui argumento à iudicio, & tramite Catholicæ religionis cum scandalo Ecclesiæ deerrat, aliudq; peruersum dogma tuetur.

*Paul. Tit. 3. vers. 10. & 11. 1. Timoth. 6. vers. 3. & 4. Tit. 1. vers. 10. & 11. & 13. l. 1. §. 1. l. 2. in princ. ibi, animi obstinatoris. C. de SS. Ecclesijs. 2. §. 1. C. de heretic. Nouel 109. in princ. c. inter hæresin, c. hereticus, c. qui in Ecclesia, & c. dixit Apostolus, 24. quæst. 3. c. ad abolendam, extr. de heretic. Cyrillus Fulgeonius in summa criminalium, Rubric. 26. §. 2. n. 4. & Paul. Chirland. tractat. de heretic. quæst. 1. n. 2. 3. & 6. & Gundislaus de Villadiego in tract. de heretic. quæst. 1. n. 1. & quæst. 4. Ludonicus quoq; Carerius in practic. criminali, Tractat. de hereticis, cap. 1. n. 1. Hæresin definit hoc modo: Hæresis est deuiatio à fide Christi, & Catholica religione cum pertinacia. Iodoc. Dambauder. dict. cap. 61. n. 53. quinq; requirit ad hoc, vt quis hereticus dicatur, I. vt sit error in ratione. II. vt error ille sit contra ea, quæ determinauit Ecclesia, in his, quæ spectant ad fidem, & bonos mores. III. vt huiusmodi error sit in illo, qui Christianam, Catholicamq; professus est religionem. IIII. vt huiusmodi errans aliquam confiteatur de Christo veritatem, quæ spectat ad ipsius humanitatem, vel diuinitatem. V. vt huiusmodi errorem pertinaci & obstinata mente eligat, & sequatur. Caterùm Ludonicus Carerius in practica criminali dicto Tractat. de hereticis cap. 2. num. vlt. hereticum in hæc verba definit: Hereticus proprie dicitur, qui contra fidem Christi, & articulos fidei, & contra præcepta, & dogmata Ecclesiæ, & conciliorum eiusdem pertinaciter affirmat, falsum dogma, & extraneum sensum gignendo, aliter, quàm Spiritus sanctus dicitur. Eodem cap. 2. idem Carerius varios ex Dd. monumentis proponit casus, quibus hæresin contrahi existimat.*

XVII.

Vnde non solùm hæresis est, si quis à fide Christiana deuiet, sed & si aliquis errorem religionis alium pertinaciter defendat; vt si peruersè de sacramentis sentiat.

*dict.*

115.

CRIMINE MAIESTATIS:

7

dict. Nouell. 109. in pr. c. ad abolendam 9. in princ. extr. de heretic. Paul. Chyrland. Tractat. de heretic. quest. 2. num. 2. Ludouic. Bonifacius de maleficijs, Rubr. de crimine heresis, num. 1. Carer. in practica criminali, Tractat. de heretic. cap. 2. num. 1. At dissentit Vvesenbec. in paratit. C. tit. de heretic. n. 4.

XVIII.

Pœna hæreticorum iure Canonico est excommunicatio & Anathematisatio cum publicatione bonorum, quæ nec quidem liberis orthodoxis relinquuntur, (a) iure autem ciuili exilium siue Bannum, similiterq; confiscatio omnium bonorum, nisi adsint liberi, aut agnati aut cognati Orthodoxi, (b) non etiam mors naturalis, (c) nisi Manichæi fuerint, (d) aut hæresin suam alios docere tentauerint. (e) Atque hæc pœna hæreticorum etiam in illos iam mortuos conuertitur. (f)

a) c. si quis Episcopus. c. sicut ait, 8. c. ad abolendam in pr. c. vergentis. c. excommunicamus. 13. c. excommunicamus. 15. extr. de hereticis. c. 2. §. 1. & c. pen. eod. Tit. in 6. Chyrland. tract. de heretic. q. 4. Quid sit Anathema, & quæ vocis notatio, docet Didac. Couar. ad c. alma mater. tit. de sentent. excom. §. 8. n. 6. (b) l. Arriani. 5. in pr. ib. nusquam in Romanum locum conueniendi, morandi habeant facultatem. & l. quicumq; 8. §. 2. in fin. & Auth. Gazaros C. de heret. l. vlt. C. de Apostat. Nou. 115. cap. 3. §. si quis de predictis vers. & hæc quidem Auth. idem est C. de heret. Cuiac. lib. 12. cap. 30. (c) uti arguit Nou. 109. in pr. & cap. 1. & Nou. 115. cap. 3. §. si quis de predictis vers. & hæc quidem. Quidam interpp. arbitrariam hæreticis pœnam desinierunt cum infamia l. 1. in fin. C. de sum. Trinit. & fid. Cathol. (d) Hi enim ultimo supplicio affici iubentur d. l. Arriani C. de heret. l. od. Damhoud. in praxi rer. crim. cap. 61. n. 57. Zas. cons. 23. n. 3 lib. 1 (e) Hos similiter ultimo coërceri supplicio Impp. Valent. & Martia. volunt, l. quicumq; 8. §. vl. C. d. t. Lud. Carer. in pract. crim. tract. de heret. cap. 4. n. 2. Sed Vves. in parat. C. eod. tit. n. 6. in vtroq; proximè allegato loco vltimum supplicium interpretatur de exilio siue deportatione. (f) d. l. 4. §. in mortem C. de heret. & c. si quis 5. ext. eod. t. & c. sanè. 24. q. 2.

XIX.

Existimant quidam Dd. (a) igne comburendos esse hæreticos: quam etiam pœnam in terris Ecclesiæ Pontificiæ subire hæretici coguntur. (b) Verùm neq; diuina neq; humana aliqua lege, hæresin huiusmodi vindicari supplicio Zasius rectè arbitratur. (c)

a) Matth. de Affl. et. ad Constit. Neapol. Rub. 1. de heret. n. 43. & seq. Lud. Carer. d. tract.

1 i

d. tract.



DISPUTATIO DE

*de her. cap. 4. n. 1. Damh. in prax. rer. crim. cap. 61. n. 58. (b) Damh. d. loc. Paul. Chyrl. tract. de heret. q. 3. n. 3. Bonif. tract. de Malef. Rub. de crimine heresis, n. 6. Coras. lib. 3. Miscell. cap. 8. n. 5. Men. lib. 2. de arbit. iud. quæst. cent. 4. cas. 374. n. 2. & alij, quos refert & sequitur Iul. Clar. lib. 5. sent. §. heresis. n. 8. (c) cons. 23. n. 3. lib. 1. Quod attinet legem diuinam vide Doct. Heerb. Disput. de her. An ultimo afficiendi sint supplicio, Tubing. An. 1576. habitam.*

XX.

Etsi verò Canonica etiam sanctione, hæreticorum bona confiscentur, executio tamen confiscationis, vt & pœna corporalis, seculari potestati, quàm primùm hæreticus à iudice Ecclesiastico condemnatus, & si clericus sit, ab ordine suo degradatus (a) fuerit, committitur. (b)

a) *c. excommunicatus. 14. §. 1. & c. pen. ex. de her. (b) c. cum secundum eod. t. in 6. Volunt autem Dd. hodie confiscationem bonorum, vnam partem domino temporali, alteram inquisitori, tertiam officio deferri, Menoch. post alios d. cas. 374. n. 4.*

XXI.

Clericus tamen hæreticus non semper seculari iudicio puniendus relinquitur, sed quandoq; in perpetuum carcerem detruditur, si condignam pœnitentiam agere noluerit.

*c. 1. de heret. in 6. c. pen. §. vlt. ext. eod. tit.*

XXII.

Excommunicationem, exilium siue Bannum, & bonorum confiscationem, aliæ etiam pœnæ sequuntur, vt infamia, (a) amissio priuilegiorum, (b) iuris contrahendi, (c) testandi, (d) succedendi, (e) postulandi, (f) militandi, (g) conuenticula habendi, (h) & testimonium contra Orthodoxum dicendi. (i) Sepulturæ item Christianæ ius hæretico denegatur. (k) Nec quisquam ei, super quocunq; negotio respondere, nec in reconuentione cogitur: (l) ipsi tamen legitima defensio iudicialis, & appellandi ius tribuitur. (m)

a) *l. 1. in fi. C. de sum. Trin. & fid. Cath. d. Auth. Gazaros C. de her. (b) l. 1. iunct. Auth. item priuilegium C. de her. c. decreuit. tit. de her. in 6. & c. vergentis ex. eod. t. (c) l. 4. §. præterea C. de her. c. vlt. ex. d. t. (d) d. l. 4. §. ergo & suprema C. eod. (e) l. cognouimus. 19. & l. vlt. C. d. t. (f) l. nemo 15. C. de Episc. Audient. Auth. credentes C. de her. (g) l. 5. & l. quicumq; 8. §. 4. C. d. t. (h) d. l. 5. & d. Auth. Gazar. C. eod. (i) l. pen. iunct. Auth. credentes C. d. t. (k) c. 2. de heret. in 6. & c. sicut ait, in fin. ext. eod. Lud. Carer. in pract. crim. tract. de her.*

*her. cap. 5. n. 6. Men. lib. 2. de arb. iud. cent. 4. cas. 374. n. 5. (1) Auth. credentes  
vers. nullus prater ea. C. de her. c. vlt. ext. de her. & c. cum inter ext. de ex-  
cept. (m) d. c. cum inter ex. d. t.*

## XXIII.

Non solum autem prædiciis afficiuntur pœnis ipsi hæretici, sed & receptatores & defensores illorum, (a) & si quis domum, vel quam aliam suam possessionem conuenticulis hæreticorum præbuerit: ipsam domum vel possessionem aliam amittit, eaq; Orthodoxæ Ecclesiæ in cuius territorio est, ex Valentiniani & Martiani Impp. sanctione, addicitur. Quod si prædij alicuius conductor, procutator, vel actor, hæreticorum conuenticulis illud concefferit; si vilis & abiectæ fuerit conditionis, fustibus publicè, in pœnam suam & aliorum exemplum coërcetur: si honesta sit persona, decem libras auri multæ nomine, fisco imperij & eorundem constitutioni inferre iubetur: (b) quam pecuniariam pœnam soluere tenentur etiam illi, qui hæreticos de infauista hæresi disputantes adierunt. (c) Et qui hæreticorum libros habent, & seruare sacrilega ipsorum scripta audent, perpetua etiam deportatione damnantur. (d)

a) *d. Auth. credentes C. de heret. & c. excommunicamus. 13. §. credentes, ext. eod. Gundissaluus de Villa diego tract. de heret. q. 16. (b) d. l. quicumq; §. §. Vniuersi C. de heret. (c) d. l. quicumq; §. §. nulli. vers. eos verò C. d. tit. (d) d. l. quicumq; §. §. nulli. vers. nemo, & vers. seq. C. eod. tit.*

## XXIII.

Hæreticorum quoq; libri, & chartæ flammis absumi iubentur, ut facinorosæ peruersitatis vestigia, ita flammis combusta pereant.

*d. l. quicumq; §. §. nulli. vers. omnes verò. C. de heret. l. Mathematicos. 10. C. de Episc. Aud. & c. fraternitatis. 4. ext. de heret.*

## XXV.

Non est hoc loco ignorandum, quod pœna hæreticorum, pro conditione & qualitate tum hæreseos, tum personarum, arbitrio iudicis mitigari & minui potest.

*c. ad abolendam §. Laicus autem. ext. de heret. & fac. l. quid ergo 13. §. pœna grauior, vbi gl. ff. de his, qui notantur infam. l. & si seuerior. 3. l. si Possidonium 4. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. auxilium 37. §. 1. vers. in delictis autem ff. de minor. l. absentem 5. §. vlt. l. aut facta 16. §. persona §. qualitate, l. si quis aliquid 38. §. instrumenta ff. de pœnis, Gundissalu. de Villa diego d. tract. de heret. q. 17. n. 2. & 2. V. ves. in parat. C. de heret. n. 6. vers. Quare dicamus.*

## XXVI.

Remittitur item pœnaei, qui post deprehensionem erroris continuò ad fidei Catholicæ vnitatem, spontè recurrit, & errorem suum, ad arbitrium Episcopi regionis, publicè abiurare, & satisfactionem siue pœnitentiam congruam exhibere consentit.

*c. ad abolendam §. presenti, & c. excommunicamus, 13. §. qui autem ext. de hæret. & l. 4. §. sed nec filios C. eod. t. & latè contra quosdam alios probat Zas. conf. vlt. lib. 1. Quando autem hereticus dicatur ad Catholicæ fidei vnitatem reuersus, iudicis arbitrio relinquitur. Men. lib. 2. de arb. iud. cent. 4. cas. 373. Quomodo item abiuratio illa fieri debeat, tradit idem Men. eod. lib. & cent. cas. 372. Volunt tamen Dd. quòd hæretico in veritatis viam reuerso, loco pœnitentiæ indicatur primò pœna perpetui carceris: deinde alia pœna iudicis arbitraria. Men. post alios, quos refert & sequitur. d. l. 2. cent. 4. n. 6. & 7. & Zas. d. conf. vlt. n. 11. & 13. & 17. Sed hanc sententiam non tutantur, quos allegant textus in c. 1. de hæret. in 6. & c. ad abolendam 9. §. presenti, & c. pen. in fin. ext. eod. t. Qui tamen post abiuratum errorem deprehensi sunt recidisse in heresim abiuratam ex Sanctione Papæ Alexand. IV. siue vlla pœnitentia seculari iudicio relinquuntur puniendi c. super eo tit. eod. in 6. Menoch. d. cas. 374. n. 1.*

## XXVII.

Schisma, quod ab hæresi differt, est, cum quis Cardinalis (a) vel Episcopus (b) se ab Ecclesiæ Romanæ vnitatem separat, & partes sibi facit, (c) ordinando scilicet nouos Ecclesiæ ministros, & Ecclesiasticas dignitates seu officia tribuendo. (d) Ipsum tamen schisma aliquam sibi plerunq; hæresim confingit. (e)

*a) c. vn. de schismaticis in 6. (b) c. 43. de Ligurib. 23. q. 5. & c. inter heresim 24. q. 3. c. quotiens. 1. q. 7. Non ergo omnis hereticus est schismaticus, licet hoc Dd. velint, quos sequitur Paul. Chyrl. tract. de hæret. q. 2. n. 7. & Gundif. eod. tract. q. 3. (c) c. schisma. 24. q. 1. (d) c. 1. & 2. ext. de schismatic. (e) d. c. inter heresim. 24. q. 3. Sed vide Ioan. Bernard. Diaz. in pract. crim. canon. cap. 105.*

## XXVIII.

Pœna schismatis est excommunicatio: quam si contempserit schismaticus, & permanserit schisma, tum coërcetur ille à seculari potestate durâ custodiâ: exilijs, & rerum proscriptione, (a) atq; alia etiam hæreticorum pœna multatur. (b)

*a) c. de Ligurib. 23. q. 5. & fac. c. qui contra 24. q. 1. (b) c. vn. de schismatis in 6. & c. 1. & 2. ext. eod. t. Quòd si tamen redierit schismaticus ad Ecclesiæ vnitatem, recipitur ad eam, facta solemnî abiuratione schismatis c. quotiens. 1. q. 7. Vide Arnold. ab Hærsol. in aduers. de Actionib. ad 7. partem pand. act. 32.*

Succe-

## XXIX.

Succedit Apostasia, quæ est, cum quis Christianus à Religione Christiana penitus desciscit, vt si ex Christiano Iudæus, vel Paganus, vel Samaritanus, vel Saracenus fiat.

*c. Beatus pradeccessor. 3. q. 4. l. 1. & 2. & t. t. C. de Apostat. vbi Cuiac. in parat. & Vves. in para. n. 1. 2. & 3. Matth. de Affl. ad Constit. Neapol. lib. 1. Rub. 3. de Apostantib. n. 1. Iul. Clar. lib. 5. sent. 5. fin. n. 4. constituunt Dd. tres species Apostasie, perfidie, inobedientie, & irregularitatis. Bonif. de Vitelin. in tract. de Malefic. Rub. de Apostat. Matth. de Aff. d. loco. 10. Bernard. Dia. in pract. crim. Canon. c. 104. Damhoud. in prax. crim. cap. 61. n. 42. & seqq. & Iul. Clar. d. q. 78. n. 4. Apostasiam perfidia dicunt, de qua hic agimus, vt Matth. de Affl. & Vves. sup. dd. locis affirmant. Apostasiam inobedientie vocant, cum quis sponte transgreditur diuinum preceptum: vel sacra Ecclesie decreta: qualis defectio fuit primorum parentum, Adami & Eue. Apostasia irregularitatis ipsis est, cum aliquis Monachus aut Canonicus, vel alius religiosus, suum ordinem derelinquit, & de hac Apostasia agitur tit. ext. de Apostat.*

## XXX.

Etsi verò Apostatæ in exilium siue Bannum non damnentur, (a) attamen varijs pœnis alijs plectuntur, eorum enim facultates domino fisci vindicantur, (b) si non adsint propinqui eorum, Christianitatem sectantes, quibus eorum hereditas relinquitur, (c) à confortio item omnium sunt segregati à testimonijs alieni, (d) testandi, succedendi, donandi, vendendi facultatem non habent: (e) in viuos perpetua & publica accusatio est, (f) post mortem etiam intra quinquennium accusari & damnari possunt, (g) & eorum crimen nec pœnitentiâ aboletur. (h)

*a) l. 3. vers. quos etiam C. de Apost. obst. vid. l. vlt. C. eod. per quem etiam Vves. in parat. C. eod. t. n. 4. scribit, pœnam Apostasie esse exilium. (b) l. 1. C. d. t. (c) l. 4. vers. sed nec venditionis C. eod. (d) d. l. 3. in pr. C. d. t. (e) l. 2. ibi testari minimè potuisse l. 3. in pr. & l. 4. vers. quib. & vers. seq. C. eod. t. (f) d. l. 4. C. eod. (g) l. 2. C. d. t. (h) d. l. 3. C. h. t. obst. putatur l. inter claras 8. §. vlt. vers. sed quia C. de sum. Trin. & fid. Cathol. & c. super eo. 4. in pr. tit. de heret. in 6.*

## XXXI.

Is tamen, qui seruum vel ingenuum inuitum vel suafione plectenda ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectam transduxerit, cum dispendio fortunarum capite punitur. *l. pen. C. de Apost.*

## XXXII.

Nunc de sortilegio, aliaq; diuinandi curiositate, (a) breuiter

nobis edifferendum. Sortilegium est, cum quis sub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas Sanctorum seu Apostolorum vocant, sortes, diuinationis scientiam profitetur, aut quarumcunq; scripturarum inspectione futura promittit; Latini sacrilegium vocant. (b)

a) Ita Constant. Imp. vocat in l. nemo. §. C. de malefic. (b) c. vnic. 26. q. 1.

XXXIII.

In alia diuinandi curiositate qui sunt: vel incantatores dicuntur, vt qui artem diuinandi verbis peragunt: vel Arioli, si circa aras idolorum nefarias preces emittant, & funesta sacrificia offerant: ac hisce celebrationibus, dæmonum Responfa accipiant; vel aruspices, quasi horarum inspectores. Dies enim & horas, in agendis negotijs, operibusq; custodiunt, & quod per singula tempora obseruare debeat homo, intendunt. Hi etiam extra pecudum inspiciunt, & ex ijs futura prædicunt. Vel appellantur Augures, si volatus auium & voces intendant, aliaq; signa rerum, vel obseruationes improuisas hominibus occurrentes ferant. Idem sunt & auspices. Vel Pythonissæ dicuntur, qui quadam religione diabolicam professionem sectantur, ita à pithone, id est, Apolline vocati; quòd is autor fuerit artis diuinandi: vel Horoscopi, qui horas Natiuitatis hominum dissimili & diuerso facto speculantur: vel salitores, qui dum alicui pars aliqua membri salierit, quid iam illi prosperum vel triste significari, prædicunt: vel Astrologi, qui ex astris augurantur: vel Genethliaci, qui per duodecim cœli signa, syderumq; cursus, nascentium mores, ortus, & euentus, prædicere conantur: (a) vel Mathematici, (b) qui præscientiam futurorum sibi arrogat, ex quibusdam obseruationibus, quæ superstitione hominum potiùs, quàm aliqua probabili causa rerum nituntur, (c) vt qui per puncta, & numeros notasq; diuinare solent: (d) vel Necromantici, quorum præcantationibus videntur resuscitati mortui diuinare, & ad interrogata respondere: vel Hydro-mantici, qui in aquarum inspectione vmbas dæmonum euocant, & imagineas ludificationes vident, & quædam ab ijs audiunt. (e)

a) c. igitur genus. 26. q. 3. (b) l. 5. C. de Malefic. & Mathem. De Astrologis & alijs, qui illicitam diuinationem pollicentur, est etiam text. in l. item apud 15. §. si quis Astrologus ff. de iniur. Per Astrologos autem non intelligi putant, qui ex astris futura prædicunt per modum demonstrationis, & saltem inclinationis, sed qui præcisam necessitatem astris imponunt, P. Chyrl. tract. de sortileg. quest. 3. n. 13. & q. 11. n. 16. & 22. l. 2. & l. 5. C. de Malefic. & Mathemas.



them. (c) Conrad. Lag. in Method. iuris. ciuil. part. 3. cap. 39. n. 3. (d) Hieron. Cardan. in proemio in libros Ptolomæi de astrorum iudicijs. Vbi hoc ostendit, non alios Mathematicos damnari, in d. l. 2. & l. 5. C. de Malefic. & Mathemat. (e) c. nec mirum. 26. q. 5.

## XXXIV.

Quæritur de Chyromanticis, qui per manus lineamenta diuinant, an & illi huic aggregandi sint diuinatorum generi, nec ne? Id quod affirmandum putatur, si futura prædicant necessitatiuè; & certo modo, non etiam, si per regulas Physicas & Astrologicas inclinatiuè tantùm, quid futurum demonstrent.

Paul. Chyrland. tract. de sortileg. q. 3. n. 14. & q. 11. n. 16. Et quod Chyromantia generalem quandam præsumtionem de homine faciat, tradit Francis. Casonus de iudicijs, tract. 1. cap. 4. Et firmare Chyromantiam nonnullis videtur textus apud Iobum, cap. 37. his verbis: Qui in manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua. Ex quo textu Iudei asserunt, lineas manuum naturales esse, & non frustra positas. Ac iuuare hanc Iudeorum opinionem existimatur text. Exod. cap. 13. Verùm hunc textum ab vtroq; alienum esse haud incommodè alijs ostendunt.

## XXXV.

Huius quoque farinae diuinatores illi censentur, qui thesauros alicubi in subterraneis locis reconditos, aliasuè opes abditas esse non sine sceleratis ac puniendis sacrificijs, aut alia qualibet arte legibus odiosa indicant ac quærunt.

Per l. vnic. C. de Thesaur. lib. 10. & tradit. Paul. Chyrl. in tract. de sortileg. q. 3. n. 12. pag. 108.

## XXXVI.

Prædictorum vatum omnium, & qui ipsorum praua arte vtuntur, pœna alia definita est iure Canonico, alia ciuili iure. Canonico iure arbitraria esse horum pœna, & pro qualitate facti, personæ, conditione, & deliquentis animo, modò leuius, modo grauius, in eos animaduertendum videtur. (a) Aliquando enim 40. dierum, (b) quandoq; totius anni, vel longior, (c) puta quinquennij (d) pœnitentia Reo imponitur. Interdum ei ab honore dignitatis suspensio, & suis beneficijs exuto, perpetua pœnitentia indicitur. (e) Quandoque ad carcerem condemnatur, aut si seruus sit, verberibus castigatur. (f) Nonnunquam etiam ab Ecclesia per excommunicationem projicitur. (g) Sæpè etiam Anathema esse iubetur. (h) Et si hære-

fin

fin sapiat diuinationo illicita, hæreticorum pœna in sortilegum & diuinum hunc conuertitur. (i)

a) Paul. Chyrl. tract. de sortileg. q. 11. n. 7. Men. lib. 2. de arbit. iud. cent. 4. cas. 388. n. 1. (b) vt in casu c. 1. ext. de sortileg. Men. d. cas. 388. n. 6. (c) in casu c. 2. ext. d. t. Men. d. cas. 388. n. 8. (d) vt in casu c. Qui diuinationes, & c. non liceat. 26. q. 5. (e) vt in casu c. si quis Episcopus. 26. q. 5. De quo etiam Bernard. Dia. in pract. crim. Canon. cap. 101. (f) c. contra idolorum. 26. q. 5. Paul. Chyrl. d. q. 11. n. 10. Roman. Sing. 660. Men. d. cas. 388. n. 16. (g) c. 1. c. non oportet. c. aliquanti. c. si quis Clericus c. augurijs, & c. seq. 26. q. 5. (h) c. si quis ariolos. c. sortes quibus. 26. q. 5. (i) Paul. Chyrl. d. q. 11. n. 1. n. 6. & 9. Men. d. cas. 388. n. 4.

## XXXVII.

Iure ciuili Aruspices, Augures, Arioli, Mathematici, Sortilegi, alijq; huiusmodi vates, & qui eos consulunt, supplicio capitis feriuntur, gladio vltore prostrati.

l. nemo. 5. & l. vlt. C. de Malefic. & Mathem. Iul. Paul. lib. 5. sent. tit. 21. §. qui de salute. Paul. Chyrl. d. tract. de sortileg. q. 11. n. 5. & 7. in fin. Men. d. cas. 388. num. 5. Nec immeritò hi vates afficiuntur tam graui pœna, quippe, cum solius Dei sit futurorum præscientiam habere, Esa. 41.

## XXXVIII.

Et libri improbatę lectionis, veluti Magici & his similes, publicè comburendi sunt.

l. 4. §. 1. ff. famil. Eriscund. Iul. Paul. d. lib. 5. tit. 22. §. libros.

## XXXIX.

Non est hoc loco prætereundum, erroneam esse eorum opinionem, qui volunt, quòd Magistratus & Iudices etiam per sortilegia hominum delicta licitè inquirere possint.

d. c. 1. & 2. ext. de sortileg. Francis. Cason. de indic. tract. 10. cap. 11.

FINIS DISPUTATIONIS  
DECIMÆ.

Ka 3071

(3/4)

ULB Halle

3

003 261 573



sb

Blind. 3/1.





# Disputatio X.

DE CRIMINE MAIESTATIS DIVINÆ,  
*quod sacrilegium iura appellant.*

Q V A M,

D. T. E. U. F.

P R Æ S I D E,

## CLARISSIMO,

## CONSULTISSIMOQVE VIRO,

D. N. HENRICO BOCERO, V. I. D.

*celeberrimo, & in inclita Tubingensi Academia Profes-  
sore praestantissimo, Praeceptore suo  
honorando;*

### ORDINARII EXERCITII GRATIA,

*pro ingenij tenuitate suscipiet, tempore lo-  
coq; consuetis*

IOH. IACOBVS PLEBSTIVS,  
Stutgardianus,



TUBINGÆ,  
Typis Georgij Gruppenbachij,

ANNO M. D. XCVIII.

Hb

